25929/1

THESES MEDICÆ DE LACTE,

Quas

SUB PRAESIDIO

JOHANNIS SIGISMUNDI HENNINGERI,

Med. Doct. Prof. Publ. Ord.

Cap. Thom. Canon.

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI

ſubmittit

BARTHOLOMÆUS LUDOVICUS GÜNTHER,

Seleſtadienſis.

Ad d. . Julij M DCC XIII.

ARGENTORATI

Literis JOHANNIS WELPERI.

EDERE LIBELLE IN LUCEM
DIEI FESTIVO
DIVI JOANNIS BAPTISTÆ
TITULO SPLENDIDIDISSIMÆ

Cum Cordis Simplicitate, Pectoris Sinceritate, animi humilitate, mentis candore, linquæ præconiis, manuum obſequiis, & Vocis æternis Votis.

A D I.

Simplex & Supplex *Virtutis multiplicis partum*, Sincerus *fiduciæ Asylum*, Humilis, *Honorum apicem*, candidus, *Juſtitiæ illibatæ Heroem*, laudabilis *Encomiorum centrum*, obſequioſus *officiorum promptuarium*, devotus *Votorum metam* obſcurus *ſæculorum ſplendorem*, abjectus *Curiæ decus*, parvus *Majorum ſtuporem*, *poſterorum Exemplar*, *Civium amorem*, *Alſatiæ delicium*.

):(*Hic*

Hic eſt

JOANNES BAPTISTA DE KLINGLIN,

REIPUBLICÆ ARGENTINENSIS

PRAETOR SUMMUS,

LUDOVICI MAGNI

REGIS CHRISTIANISSIMI

CONSILIARIUS ILLUSTRISSIMUS.

Qui

Qui

Dum lucem ingreditur, aurora fortunæ affulget.
Dum nomine luſtratur, immortalitatem famæ orditur.
Dum faſciis involvitur, faſces offeruntur.
Dum Vagit, juſtitiæ eloquentiam conatur:
Dum primitiis ſtudiorum pueritiam dedicat, in litterarum Mœcenatem adoleſcit.
Dum ætate accreſcit, incremento grandeſcit ſcientiarum.
Dum in viâ doctrinæ incedit, ad arcem ſapientiæ contendit.
Dum Muſarum coronam ſequitur, in Parnaſſo Argentinæ Evehitur

APOLLO SUMMUS.

Sub cujus Præſidio.

Suada Eloquentiæ puritate triumphat, Themis juſtitiæ æquilibrio ſuſtinetur, Medicéa incolumitate & integritate ſtudii vivit, Indefeſſa demùm Camænarum Harmonia exultat, vernat, viget, perennat.

Saluta ergò

Eloquentiæ Ciceronem, juſtitiæ Juſtinianum, Medicinæ Apollinem

Et

Si quid facundiæ attingis, in feſtivos gratulationum Plauſus effunde, ſi juris quidquam noveris, conſtantem & perpetuam voluntatem jus omnium obſequiorum tribuendi vove, ſi Medicinæ reſpicis cultum, omnem ſanitatis felicitatem pro æternitate vitæ ad aram benevolentiæ ſacrifica ſummo, qui ſummè ſalutem Reipublicæ curat, & omnibus injuriæ morbis medetur.

Conſecra

Te Illuſtrisſimi nominis in Alſatiæ orbe dulci laudum ſono clangentis *atq; impoſterùm immortalis patrocinio; & cum* lacteus *ſis vel de* lacte *totus* tuum *Medicinæ* Candidatum Candidè *favoris gratioſisſimi ſinui offer, accede tanquam munuſculum licèt minimum magnæ tamen pietatis ad ſummè pium Clientum Patronum, litteratorum Evergetam, Academiæ principem, ac*

In tanto fortunæ Riſu.

Altâ voce ſubmiſſè tamen gratulabundus modulare fauſta.

Urbis

URbis honos, patriæque ſalus, & gloria gentis
Alſaticæ Salvê, ſalve ſalutis amor.
Aureus affulget Titanis fulgure tandem
Junius, atque dies alma Joannis adeſt.
Te peperit Juno, Junonius excipit ortum
Menſis; ſollicitæ ſacra propago Deæ.
Tempora ſacra ſuis voluit ſic cultibus eſſe,
Ut quoque te ſacrent: Victima culta Jovis.
Baſiat ignivomo te ſol altiſſimus ore
Ut teneræ cunæ ſic magè prole micent
Umbra fugit, Phæbi radioſa pupilla recluſo
Decidit è cœlo, terraque prole nitet.
Dum ſic immenſis radiorum ambagibus orbis
Uritur, & Juveni Vita parata Deo eſt.
Flora parat Roſeo vultum diſtinguere fuco,
Explicat & gremium fertile; nata roſa eſt.
Nobile florigeris amplexibus excipe pignus
Floræ, nî dici terra noverca velis.
Alſatiæ tellus hoc nato flore beatur,
Cujus adhuc gaudet fructibus atque bonis.
O fauſtum Alſatiæ partum! quæ gignere nôſti
Atlantem, qui te fert caput atque tuum.
Cunarum tacito Lucina Volumine librat
Infantem, ſortes ponderat omnis opes.
Lacte fluunt Mammæ Muſarum, lingula turget
Nectare pegaſeo, numine corda tument.
Inſtruit ex cunis poſito fortuna Quadrigam
Quam Muſæ vectant ſuada, Sophia, Themis.
Magnatum tenero veſtigia colligit auſu
Juridicæ ſcandit vectus amore Deæ.
Mille gradus properante legit pede doctus honorum,
Et comitata Dei gratia juvit iter.

Alſatiæ tandem pronis Argentea Votis
  Metropolis currens ſtrinxit honore jubar.
Hîc, ut flammigeris circumfluit orbe capillis
  Sol & fæcundo recreat igne ſolum.
Sic Argentinæ cœlo ſol aureus orbem
  Alſàtiæ illuſtrat, Summus in Urbe nitor.
Quem produxerunt prætoria lauda cœli
  PRÆTORIS SUMMI nomina digna regunt.
Non umbram ſpatioſa parit lux, umbra favoris
  Nî foveat Cives & tegat una lares.
Mirantur radios virtutum, ſydera Juris
  Curia quêis ſplendet, quæque ſenatus habet.
Non placidi ſolis radioſus præterit unum
  Vultus, nec vilem deſpicit ore domum.
Quemlibet irradiat, ſeu luce ſuperbiat altæ
  Sortis, ſeu tenuis nox tenebroſa premat.
Verba quid innumeris non ſufficientia dicam
  Laudibus, innumeras quid numerare volo?
Mirari juvat illa, loqui non ſufficit omnis,
  Quæ divina ſtupet civis in urbe pius.
Intima devinctæ poſcit devotio mentis
  Plauſibus ut pateant ora canora meis.
Ergò Magnatum Magnes fortiſſime, Rector
  Urbis præcipuæ qui pia Sceptra rotas.
Aurea cum Summum te laticlavia cingant,
  Purpureæ ſortis vive decore diu.
Perpetuâ felix fortunæ vive ſequelâ
  Quam tu non ſequeris, teque ſecuta tamen.
Annorum tua vita rotas pro ſorte ſequaces
  Detineat fauſtas, tempora nulla cadant.
Fauſta polus fingat, nigra quælibet omina ſtringat,
  Sæcula lacte fluant, aurea cuncta pluant.

Eminet

Eminet ex Martis caperatâ fronte ſerenà
  Pacis amabilitas, pauper Enyo fugit.
Sic beet annoſum SUMMI PRÆTORIS honorem
  Pax, ut concordi ſemper in Urbe regat.
Dum Mars alato fugitivus ſpicula curſu
  Linquit, Mors properæ ſit comes ipſa fugæ.
Pax immortalem Vivat caniſſima Vitam
  Vita ſenectutem florida pace ferat.
Aſtrorum facibus dum Phæbi numen adorant
  Templa poli, micam dum ſola lucis habent.
Perpetuo fulgore tuos illuminet annos
  Sol, qui ſæpe, frequens igne requirit iter.
Tempora caneſcant, lacteſcant tempore crines,
  Canities decoret ſic ſenis apta caput.
Donec te digni capiat via lactea cœli
  Lacteolis Votis Candide Vive meis.

NOn undulatis ſplendida gemmulis
Auri minacis fulgura munera
  In publicos teſtes honoris
  Invidior mea fert egeſtas.
Decet potentes divitiis lares
Selecta gazis fundere præmia
  Sunt dona noſtrum congruentis
  Ad pretium trutinanda vitæ,
Donare, quidquid pauperies habet,
Sat eſt, locuples eſt pietas datum
  Prenſare dextrâ, ſume donum,
  Non quod opes ſed opem recondit.
Ergò pagellam, quam dico nominis
TUI perenni fretus adoreæ
  Clemens adopta, non negabis
  Pollicitum paginæ favorem.

Nil

Nil reſtat ultrò, quod TIBI conſecrem,
Quam me, libellum ſi foveas manu,
Manu tenebis me ſacratum,
Nam paginæ TIBI me ſacrârunt.
Sic eſt libellum ſuſcipis, & capis
Me ſub libello, nil niſi me tenes
O ſi tenereris, perennem
Me ut teneas placidus clientem.
Hinc meos annos TIBI SUMME dono
Vitam & affectus facili PATRONO:
Hæc Sacræ mentis monumenta pono
poplite prono.

Infimus

Bartholomæus Ludovicus
Günther,
Medicinæ Candidatus.

I.

LActis maxima eſt neceſſitas & utilitas, ſiquidem hominis in lucem editi primum idque convenientiſſimum eſt alimentum, usque dum dentibus erumpentibus ſolidioribus cibis aſſueſcat. Servit etiam porro ampliſſimo uſu cibario, ut etiam quædam gentes, lacte potiſſimum vivant, & menſas variis dapibus jucundis ornat, inſuper Medicinali uſu vario eoque latiſſime patente ſeſe commendat. Placuit itaque pro ſpecimine Academico Theſes quasdam de lacte Phyſiologicas ventilationi ſubmittere. Faxit Deus ut feliciter!

II.

Cum circa nominis rationem nulla difficultas occurrat, ad ipſam rem ſtatim accedimus, â definitione vel deſcriptione lactis initium facientes, quam talem damus. Lac eſt humor candicans, dulcis, ex chyloſo-ſeroſis partibus per arterias ad glandulas mammarias delatis & ibidem ſecretione & transcolatione elaboratus, conſtans partibus ſeroſis, pinguibus ſeu oleoſis, & craſſioribus ſeu caſeoſis, in hunc potiſſimum finem, ut infanti in nutrimentum cedat.

III.

Lac optimum iſtud cenſetur, quod ex matre vel nutrice ſana, nam & conſtitutiones morboſæ una cum lacte infanti communicari poſſunt, & victu euchymo & laudabili utente deſumitur. Ulteriori ſi examini ſubjicitur, probatur iſtud; quod ratione coloris eſt candidum, clarum, ſincerum. Si guſtu examinetur, ſaporis dulcis, omnis alterius ſeu amaricantis ſive ſalſi ſeu acidiusculi expers. Odoris boni, vel ſaltem, odoris exiguum quid de ſe ſpirans, ſi conſiſtentiam ſpectes nec tenue nimis & ſeroſum nec etiam craſſum nimis & ſpiſſum, ſibi continuum, intime mixtum, conſiſtentiæ legitimæ; probationem inde deſumunt ſi ungui inſtillatum cohæreat, neque diffluat.

IV.

Organum ſeu officina, ubi lac elaboratur, ſunt mammæ, duo illa eminentia hæmiſphæria, muſculo pectorali impoſita, egregium pectoris ornamentum,

mentum, & amantium promontorium bonæ ſpei. Quæ potiſſimum, dicatæ ſunt lactis generationi, & fœtus in lucem editi nutritioni, ut ſuctione papillarum, nectar hoc lacteum eliciat.

V.

Subſtantia vero mammarum conſtat ex glandulis quamplurimis, quæ potiſſimum in conſpectum veniunt, dum mammæ lacte turgent, aut lac in iis reſtagnat, ubi ſæpius tactu manifeſte inæqualitate ſua ſe produnt, & ſicuti in ſecretione aliorum humorum illa per glandulas contingit, pariter & in his glandulis copioſis admodum & majoribus quam in aliis partibus ſecretoriis, candicante colore conſpicuis, quarum compages membranoſo quodam contextu ſuffulta, materia lactis ſecernitur, & lac in iis elaboratum, ad ciſternam mammariam ſeu ad tubulos mammarios lactiferos â glandulis propagatos amandatur. Glandulæ hæ mammariæ in ſtatu p. N. ſæpe manifeſte conſpiciuntur, in mammarum exulceratione & abſceſſu, â coagulo lactis oriundo, in ſcirrho mammarum, & diſpoſitione earundem cancroſa, ſeu carcinomate, quo in ſtatu ſatis numeroſæ & magnæ comparent.

VI.

Præter numeroſam hanc glandularum candicantium compagem, adſunt præter arterias, venas, nervos, lymphatica vaſa, etiam peculiares adhuc ductus ſeu tubuli, qui in glandulis lac elaboratum recipiunt, aſſervant, & ad papillas deducunt,

ſicuti in aliis partibus videmus, ubi peculiaris humor elaboratur, adeſſe glandulas ſecernentes atque elaborantes, adeſſe poſtmodum etiam peculiares ductus, cavitates & vaſa, quæ illum liquorem colligunt & transmittunt. Ita hoc quoque in mammis contingit. Obſervavit Joh. Ferdinand. Hertod. C. N. C. I. I. 6. p. 25. in mamma exulcerata, poſt plurimas glandulas putridas extractas, contextum quendam membranoſum, quem ciſternam ſeu capſulam mammariam vocat, plenam materia albicante, lacti ſimili, ſuos ductus, qui in illo ſubjecto inſtar calami ſcriptorii erant, hinc inde per glandulas diffundentem, unde concludit, chylum â ſubclavia ad mammariam in ciſternam deferri, ab hac vero ciſterna per ductus ſuos ad glandulas ut ab his magis perficiatur. Exiſtimaverim potius, per arterias, â ſubclaviis, mammarias dictas, materiam lactis prius ad glandulas mammarum deferri, inde demum lac ad Ciſternam hanc mammariam, in quo per tempus aſſervari poteſt ut & in tubulis expanſis, donec ſuctione vel preſſione ex papillis eliciatur. Hisce glandulis atque tubulis mammariis copioſa pinguedo interſparſa eſt, ſicque in Sphæricum mollemque tumorem ſororiantes aſſurgunt. Atque hæc pinguedo glandularum interſtitia replet, & vaſa copioſiſſime intertexta leniter ſuſtentat, ſimulque blando ſuo colore fovet, ne lac facile in coagulum abeat.

VII.

In hac ciſterna lactea, & tubulis lacteis, quan-

quos optimo jure vaſa lactea appellares, lac in glandulis elaboratum colligitur, & aſſervatur, hi tubuli ſatis expandi poſſunt & dilatari, ut ſufficiens pro infantantis nutrimento copia pro una vice ſuppeditari poſſit. Siquidem ſæpe lacte diſtentæ turgeſcunt & duriusculæ redduntur, ut nutricibus moleſta lactis copia evadat. Hi autem tubuli ex glandulis mammariis & ciſterna lactea propagati, ad papillam usque exporriguntur, in eaque concurrentes eandem meatibus tenuiſſimis perforant. Ita ut accedente blanda puſionis ſuctione, aut leni manus nutricis compreſſione, lac ex meatibus iſtis fiſtulisque, quaſi tot ſiphunculis proſiliat. Ad eundem fere modum, uti aquas inopinatis ſubſultibus in locis ad luxum conſtructis, ex tubulis ſuis & machinis artificioſe conſtructis erumpere cernimus.

VIII.

Sunt enim papillæ, purpurea & roſea carnium prominentium in medio mammarum fruſtula teretia, & hæ nihil aliud ſunt, quam fiſtulæ & ſiphones, per quas lacteum nectar extillat. Vertex enim papillarum, plurimis foraminulis pertuſus eſt, quæ foraminula ſunt illa ipſa oſcula tubulorum lacteorum in papillam deſinentium, ad lac reddendum. Quæ tenui admodum & exquiſiti ſenſus tunica obvelantur, ita ut ex levi & grata contrectatione voluptas, oriatur, ut hac ratione papillæ infantum labiis tractatæ, invitent quaſi nutrices ad mammas porrigendas, ex dura vero

ro

ro dolor , uti in fiſſuris ſeu ſciſſuris papillarum , dum papillas infantibus ſugendas præbent, dolor acerbiſſimus percipi ſolet. Subſtantia earum porro ita eſt comparata, ut modo flacceſcant & in ſe concidant, ex contactu vero blandiore & ſuctione erigantur, inſtar glandis virilis. Et hæ papillæ, ut inquit Lindanus in Phyſiol. nutrici pro infundibulo , infanti pro epiſtomio ſunt , quo illa ingerat lac, hic vero promat.

I X.

Atque hæc organa ſexui ſequiori merito propria dicuntur. Sicuti enim huic proprie competit, concipere, iu Utero gerere, & parere. Ita pariter his ſolis munus lactationis relictum eſt. Merito itaque inter abſurda Medica Theoretico-Practica refert. Roſin. Lentil. Jatromnemat. Medic. Pract. Part. 2. c. 23. p. 478. Quando producit virum quendam, & ut ille eundem appellat, polygraphum ac ſpeculationum inanium varietate Medicum eximium. Qui in obſervatione quadam, de Hirco lac ex uberibus profundente, cum ſtatuiſſet, generationem lactis æque viris ac fœminis eſſe poſſe propriam , cum in viris æque generetur materia lactis, ſive illa ſtatuatur ſanguis ſeu chylus, & adſint organa elaborantia , v. c. mammæ , & denique concludit : Noſtro arbitratu Magnorum Principum Filii lactandi eſſent â caſtis Juvenibus Viris , quorum Mammæ lacteſcerent, ſi ſuctione frequenti tractentur. Merito ſubjungit laudatus

autor

Autor, nil abſurdius unquam â viro Medico ſcribi potuiſſe. Quam etiam ſententiam prolixius examinat & explodit per plures paginas, cui etiam noſtrum calculum omnino hic addimus.

X.

An vero mammæ & papillæ in viris nullum poſſident uſum? Proſtant quidem exempla, ubi etiam in mammis virorum lacteus liquor repertus fuit, ſed cum rara non conſtituant regulam, alium habebunt. Et quidem ornatus gratia ſexui maſculino conceſſas eſſe affirmamus. Ariſt. l. 4. d. P. A. c. 10. inquit, mamillas viriles tegere cor & vicinas partes. Præterea probabilis admodum eſt illorum ſententia, qui affirmant, fœtu in Utero materno exiſtente, ſuccum nutritium lymphatico-chyloſum, per mammas tranſcolatum per papillas excerni, inque cavitatem amnii deponi, qui uſus fœtu in lucem edito evaneſcit. Potiſſimum hoc argumento inducti, quia obſervatur mamillas recens natorum utriusque ſexus lacteo ſeroſo quodam ſucco turgere, & lac inde exprimi poſſe, imo quandoque contingit, ſi hoc non tempeſtive & rite exprimatur, quod mammæ indurentur, ac inflammentur. Pluribus enim argumentis & experimentis nobis comprobatum eſt, fœtum ultimis menſibus non per umbilicum ſolum, ſed per os quoque nutrimentum ſuum accipere.

XI.

Quæ in medium proferuntur exempla, mammas etiam Virorum lac profudiſſe, licet multi inſtent lac verum non fuiſſe, ſed liquamen ſeroſum lactis analogum, nihilominus tamen in ſanis tractione vel repetitis frictionibus aliquid allici poſſe quidem conceſſerim, at in minori quantitate, ſed lac verum, alteri ordinario per omnia ſimile ſponte ſua accedere, ut in puerperis lactantibus contingit, id fieri negamus, cui enim fini natura id effecerit?

XII.

Lac in mammis virginis illibatæ, nunquam jugum, paſſæ reperiri quandoque certum eſt, & ab authoribus multis exemplis comprobatum: Unde Hipp. 5. aph. 39. ſi mulier, quæ nec prægnans eſt, nec peperit, lac habeat ei menſtrua defecerunt. Limitat hoc ipſum prædictorum lib. 2. 35. inquit: in ipſarum mammis, qui ſe concepiſſe exiſtimant, neq; tamen conceperunt lac non innaſci, niſi paucum quiddam & aquoſum. Ideoque lac præſens in mammis non præbet certum læſæ virginitatis ſignum, aut graviditatis indicium, uti hac de re prolixe agit Bartholinus in ciſta Medica. Etſi enim in gravidis mammæ duriuſculæ & turgidulæ fieri ſoleant, unde & in primiparis lancinationes punctoriæ in mammis ſæpe indicium imprægnationis, primis etiam menſibus præbent, non æque tamen lac in iis comparere ſolet, vel preſſione elici poteſt,

ipſe

ipſe Hippocrates ex copioſo lactis effluxu ex mammis, in muliere Uterum gerente, infirmitatem foetus arguit. Quod etiam aliquoties obſervavimus, tales enixas fuiſſe fœtus debiles, minus vivaces. Si vero ſolidæ fuerint mammæ, ſaniorem fœtum ſignificari ibidem affirmat.

XIII.

Ratio hujus rei facile dari poteſt. Tempore enim geſtationis imprægnato & fœcundato Utero, liquor nutritius pro fœtus nutrimento, per Uterum ad placentam defertur, qui ſuccus nutritius non videtur eſſe ſanguis, ſed potius lacteus quidam humor ſeroſior, qui liquor ad placentam delatus, in glanduloſa placentæ ſubſtantia, in idoneum fœtui alimentum præparatur, non aliter ac fœtu in lucem edito, id in glanduloſa mammarum ſubſtantia fieri ſolet. Ejusdem ſententiæ quoque nobiſcum eſt Regner. de Graaf. de Mulier. organis c. XV. p. m. 387. ubi inquit: Exiſtimamus non ſanguinem, aſt lacteum quendam humorem eſſe, qui ab Utero ad fœtum defertur, quia Placentæ ab Utero ita ſejungi poſſunt, ut ne guttula quidem ſanguinis effluat, ſed ejus loco ſi premantur, lacteus quidam humor prodeat, quem â materno ſanguine ita ſegregari credimus ut lac in mammis, quod prout infantis ore, ſic ille venarum umbilicalium oſculis excipitur, & ad fœtum traducitur.

XIV.

Itaque hinc concluditur, tempore geſtationis ſuccum nutritium non ad mammas, ſed ad Uterum deferri debere, ſi vero copioſius ad mammas deferatur, defraudari inde fœtum ſuo nutrimento, & hinc conſequenter neceſſario debilitatem ejusdem, aut etiam abortum inſequi. Ideo ordinario Naturæ curſu, Lac â partu demum ſecundo vel tertio die in mammas copioſius influit, mammas extollit, & niſi exugatur tumorem dolorificum excitat, non vero prius id contingit, atque fit iſte affluxus cum calore & horripilatione quadam, unde & febrim lactariam vocant, ad ephemeram relatam **Milch=Fieber / oder Milch=Froſt.**

X V.

Ex hiſce elicitur, nullum convenientius alimentum fœtui in lucem edito ſuppeditari poſſe, quam lac proprium maternum, matris ſanæ, & lactare valentis, ſiquidem idem & plane conſimilis liquor nutritius ipſi in alimentum & augmentum ceſſit, dum in clauſtris maternis incluſus hæreret, hinc lac maternum cum infantis Maſſa ſanguinea maximam analogiam poſſidet. Ex hac ratione matres optime faciunt, ſi ipſæ infantes ſuos lactant, ut alias rationes morales hic ſilentio prætereamus. Modo mater ſit ſana, alias enim etiam morbos â matre morboſa in infantem transfundi poſſe certum eſt & indubitatum. Dum etiam in

Utero

Utero varii morbi â matre gravida fœtui transmittuntur.

XVI.

Quænam vero ſit cauſſa impellens, ut ſuccus nutritius, qui tempore geſtationis ad Uterum determinabatur, fœtu in lucem edito, poſtea tertio vel quarto puerperii die ad mammas accedat, haud adeo facile determinari poteſt. Isbr. de Diemerbr. Anat. l. 2. c. 2. p. 352. prolixe hanc quæſtionem tractat, quid chylum impellat vel deducat ad mammas, ut lac ex eo generetur, & putat ſe genuinam cauſam inveniſſe, cujus nemo ante eum mentionem fecit. Illam autem eſſe fortem imaginationem, ſeu intentam & crebram, de lacte, mammis, earumque ſuctione cogitationem, quæ mirabilia in corporibus noſtris operatur, non quidem ſimpliciter per ſe, ſed mediante potentia appetitiva, ſeu mediantibus animi paſſionibus, quæ ſpirituum & humorum varios motus inducunt. Unde intentam imaginationem & de lactatione infantis deſideriosam cogitationem cauſam eſſe, quod viæ chyliferæ verſus mammas laxentur & aperiantur, inprimis ſi fortem illam cogitationem foveant ac magis incitent cauſæ aliquæ externæ eodem facientes, ut mammarum laſciva contrectatio, papillæ ſuctio &c. Sic pro vario ſpirituum animalium influxu partes modo conſtringi modo laxari. Inter hos impulſos humores eſſe quoque chylum, qui â muſculis abdominis, per quælibet lactifera vaſcula atque ſic etiam per illa, quæ ad mammas tendunt.

dunt, continue propellitur, ſicut unda propellit undam, modo ſpirituum animalium ſpecialis influxus partes illas, per quas iſta vaſa feruntur, laxaverit, omnique ſublata conſtrictione dicta vaſa permeabilia fecerit.

XVII.

Hanc ſuam ſententiam poſtmodum pluribus probat, & cum videret, contra eandem ſingulare dubium idque ſatis magnum inſurgere, quare in brutis animalibus chyloſus lacteus ſuccus tam copioſus & tam diu ad mammas confluat, cum tamen iis, utpote anima rationali deſtitutis cogitatio, intellectus, imaginatio, voluntas, memoria, & judicium nullo modo adſcribantur, ideò brutis animæ rationalis analogum quid adſcribit, mediante qua in illis materia lactis ad mammas propellatur. Sed ſi vel maxime laudato Authori animæ rationali analogum quid in brutis concederemus, quod tamen adhuc admodum dubium, ea tamen nihilominus multis adhuc difficultatibus eſt involuta. Motum enim illum mere naturalem eſſe non animalem aut medium arbitramur, ita ut voluntatis noſtræ arbitrium nihil hic contribuat. Æq; enim lactis materia influit in mammas in iis qui infantes lactare nolunt, ſed nutrici lactandum committunt, & quandoque inſignem inde moleſtiam patiuntur & contra quandoque matres maximo cum deſiderio lactare geſtirent proprium fœtum, ſed vis imaginationis, & promptiſſima lactandi voluntas, tantam vim non poſſidet, ut voluntatis imperium chylum

ad

ad mammas propellat, ut inviti etiam nutrici hoc munus committere cogantur. Ut jam alias rationes omittamus.

XVIII.

Cum itaque motus hic ſucci lactei ad mammas mere ſit naturalis, æque ut chyli, per ſua vaſa & ductus, bilis in Hepate, aliorumque humorum, alia omnino cauſſa alleganda eſſe videtur. Probabile admodum eſt, dum ultimis geſtationis menſibus vaſa Uterina admodum turgent, ſiquidem Regner. de Graaf. d. Mulier. organis aliquando ea in tantam amplitudinem dilatata vidit, ut facile digitum in eorum cavitatem immitteret, hinc cum tanta adſit turgeſcentia, etiam contingit, ut glandulæ mammarum, quoque magis diſtentantur in gravidis. Sed cum in puerpera lactis generatio demum incipiat aliquot poſt partum diebus, dum imminui incipiunt lochia, Uterusque & vaſa iterum conſtringuntur ita ut juxta eundem Graafium ſexdecim dierum ſpacio Uterus & vaſa priſtinam figuram & anguſtiam recuperent. Hinc Utero & vaſis poſt fœtum editum contracto, materia alibilis fœtui deſtinata, quæ antea ad Uterum ferebatur, â ſanguine iterum reſorbetur, & per quandam turgeſcentiam & orgaſmum ad mammas defertur, & ſic diſtentæ plus ordinario glandulæ mammarum humoris hujus ſecretionem ſuſcipiunt. Qui orgaſmus in ſanguine continuatur, quod lactantibus ut plurimum menſes deficiant. Quin imo idem in

cauſa

cauſa eſt, quod interdum, ſine impraegnatione, ſubſiſtentibus menſtruis lac in mammis proveniat. Accedit deinde ſuctio, quæ lac continue ſubtrahendo ſecretionis hujus continuationem, interdum ad plures annos procurat. Conf. Joh. Frid. Ortlob. Diſſert. 14. §. 6. p. 107.

XIX.

Materia ex qua gignitur lac non eſt ſanguis Menſtruus, uti totius fere antiquitatis conſenſu fuit æſtimatum, idque probant ex Ariſtot. l. 4. d. Gen. An. c. 8. p. 1327. ubi inquit, eandem lactis & menſtruorum eſſe Naturam. Præcipue vero ex Galeno de Venæ Sect. adverſ. Eraſiſtrat. c. 5. ubi dicit: Una & lactis & menſtruorum ſubſtantia eſt, amborumque rivorum fontes communes venæ ſunt, quamobrem quibus per ætatem fluere menſes ceſſarunt, his neque in mammillis lac amplius colligitur: quæcunque etiam purgandi tempora adhuc habent, ac interea lactant. Præterea cum mulieri lactanti ſanguis per locos eriperit, illicò lac huic evaneſcit. Ex quo Galeni loco perſuaſi, unanimi fere conſenſu hoc ſtatuerunt, licet rationes allegatæ in hoc loco plane ſint infirmæ, ipſique Experientiæ quotidianæ repugnent, & proinde fere jam ob omnibus exploſa & rejecta: Conf. Diemerbr. Anat. l. 2. c. 2. p. m. 342.

XX. Alii

XX.

Alii cum obſervarent, quam infirmo prædicta ſententia ſtet talo, materiam lactis ſtatuerunt ſanguinem alimentarium, hincque Plethoricas majori lactis copia gaudere, evacuationes ſanguinis quasvis lactis proventum imminuere, & lac tanquam alimentum optimum facile in ſanguinem converti. Sed quamvis hæc ſententia, plauſibilior ac prior appareat, varia tamen ſunt argumenta, quæ certò demonſtrant, lac non progigni ex ſanguine, quæ argumenta videri poſſunt apud Mœbium Inſtit. p. m. 13. ad quam ſententiam refellendam, vel hæc duo ſufficerent, primo quod inſignis inter lac & ſanguinem ſit diſcrepantia, & deinceps quod natura non eat & redeat per eandem viam, ita ut ex cibo chylum albicantem & lacteum conficiat, deinceps in ſanguinem convertat liquorem perfectiorem, rubicundum & ſpiritibus vitalibus perfuſum, ex hoc demum iterum liquorem lacteum chylo analogum, denuo â fœtu in ſanguinem excoquendum, nunquam enim coctionis aut maturationis motus verſus cruditatem retrogreditur, ut alia argumenta hic taceamus, Conf. Schneider. d. Calarrh. l. 3. c. 3. toto.

XXI.

Hieronymus Barbatus, in Diſſertatione de Sanguine & ejus ſero, ubi ſerum non eſſe vehiculum alimenti, ſed ipſum alimentum præter alia

affirmat: pluribus argumentis probare conatur, lac non ex ſanguine, neque ex chylo, ſed ex ſero ſolummodo generari. Sed argumenta ab ipſo prolata plane ſunt inſufficientia, ſeroſas in lacte partes non denegamus, ſiquidem & hæ copioſe lacti inſunt, præcipue illi, quod primis diebus generatur, & hoc ſerum lacti, ſeu reliquis lactis partibus alimentariis debitam fluxilitatem & tenuitatem conciliat, ut per glandulas & vaſcula minima lactifera tranſcolari & meare poſſit, eadem ratione ſicut ſerum in ſanguine eundem diluit, ut per vaſcula minima capillaria ipſarumque partium tubulos & meatus circulari & moveri poſſit, & hinc recte Hippocrati vehiculum alimenti appellatur. Lac quidem conficitur non ſine ſero, ſed hoc ſerum eſt ſolummodo menſtruum, ut hoc termino chymico hic utamur, ſeu vehiculum, in quo partes reliquæ intimius ſolutæ, in quibus vis alimentaria, non æque in ſeroſis conſpicua, reſidet, ſimul permiſcentur. Hoc ipſum facile ad Oculum patet, dum lactis ſubſtantia a ſero longe eſt diverſa, ſicuti & hoc ex butyro & caſeo quæ ex lacte conficiuntur, hoc tam manifeſte patet, ut nulla ulteriori probatione indigeat.

XXII.

Nec etiam neceſſe eſt ut ad lactis materiam conſtituendam ad liquorem quendam nervoſum per nervos ad mammas delatum recurramus. Uti nonnulli ex Medicis Anglis fecerunt, qui duplices

in

in lacte partes ſtatuerunt. Chyloſam unam, longe copioſiorem per arterias thoracis ad mammas transmiſſam, ſpermaticam alteram, eamque multo minorem, per nervos ſubminiſtratam. Per nervos enim, vel eorum tubulos viſu non perceptibiles, humorem alimentarium, & quidem non ſubtilem & tenuiſſimum, ſed conſiſtentia & craſſitie aliquali gaudentem tranſire poſſe, non poſſibile videtur. Licet hoc concedamus, â determinato ſpirituum animalium per nervos in mammas motu, lac varie alterari poſſe, ſicuti hoc manifeſte conſpicimus in lactantibus, quando terrore, præcipue ſubitaneo percelluntur, aut ira excandeſcunt, ſi infans tale lac hauriat, ut ſtatim inde lædatur, tormina percipiat aliaque incommoda, imo quandoque motibus convulſivis aut epilepticis convellatur. Hinc & hoc elicitur, in nutrice & hoc conſiderandum, ut non tantum corpore ſana, ſed etiam bene morata eligatur. Non enim corporis tantum ſed & animi vitia â nutrice in infantem una cum lacte transfundi poſſe, ſunt qui contendunt.

XXIII.

Lactis veram materiam, partes chyloſas & ſeroſas, cum ſanguine per arterias ad glandulas mammarum delatas ſtatuimus. Hoc evincit utriusque liquoris maxima convenientia, tantillum enim differt chylus cum ſero mixtus â lacte in mammis producto, colore, ſapore, conſiſtentia, reliquisque accidentibus vix quisquam differentiam quandam agnoſcet. Adeo ut ſola fere ſecretio & trans-

colatio in glandulis mammarum ſufficere videatur, ut non tam transmutent chylum in lac; quam ſeparent partem chyloſiorem & ſeroſiorem, Licet aliqualem ἀλλοίωσιν, â virtute mammarum digeſtiva dependentem, omnino ſimul concedamus.

XXIV.

Nonnulli non cum ſanguine per arterias materiam lactis ad mammas transmitti contendunt, ſed immediate â lacteis vaſis ad mammas usque protenſis chylum eo usque deferri ſtatuunt, antequam chylus per ductum thoracicum in ſanguinis conſortium & in cor recipiatur. Et quidem ejusmodi argumenta proferunt, â ratione petita, ut quid illis reſponderi poſſit vix videam, præcipue cum poſt potum vel cibum liquidiorem aſſumtum nutrices ſtatim percipiant, quomodo lac in mammas influat, **wie die Milch einſchieſt.** Sed cum hactenus etiam adcuratiſſimum examen anatomicum, talia vaſa lactea immediate ad mammas tendentia nondum in apricum duxerit, & ſic autopſia anatomica contradicat, etiamſi â pluribus ſummo ſtudio fuerint quæſita, eatenus dicimus vias per quas affertur eſſe arterias, usque dum autopſia aliud demonſtret, nec enim chylus primo ſtatim tranſitu per cor in ſanguinem mutatur, tam brevi enim temporis momento hoc fieri nequit, ſed una cum ſanguine permixtus circulatur, unde & hæ partes chyloſæ in ſanguine per Venæ-ſectionem poſt paſtum educto ſæpius ſe produnt, usque dum chylus ſæpius repetitis circulationibus in ſanguinem mutetur, &

exuta

exuta ſtola alba, purpuram induat, non tantum corde, ſed ipſo etiam ſanguine, reliquisque viſceribus ſymbolum ſuum conferentibus.

XXV.

Chylum, ſeu ſuccum â cibo & potibus expreſſum, uti Proſp. Martianus loquitur, lac præbere, non ſanguinem, pluribus probat allegatus modo Author d. Nat. pueri p. m. 43. & inter alia etiam exinde, quia lac ſæpe odorem & facultatem ingeſtorum adhuc retinet â cibariis, uti experientia docet, ipſo Hippocrate aſſentiente, qui inquit, l. 6. Epid. ſ. 2. v. 38. Mulier, capra, elaterium aut cucumerem ſylveſtrem comedentes, pueris purgatio. Idque ſibi experimento cognitum affirmat, de uxore N. quæ aſſumto medicamento purgante, ſtatim mammam porrexit puellæ anniculæ quam lactabat, non exiſtimans tam cito virtutem medicamenti ad mammas pervenire poſſe, quæ adeo fortiter purgata eſt, ut de ſuperpurgatione lethali dubitatum ſit. Matri vero, ne ſemel quidem alvus ſubducta eſt, ſigno evidenti, medicamentum ad mammas ſuctionis violentia ſtatim raptum fuiſſe. Hinc putat lactis materiam eſſe chylum, cum quo etiam ſentimus. Sed quod exiſtimat ſuccum alimentorum â Ventriculo ad mammas per ſubſtantiæ poroſitates ferri, ſeu â ventre ad mammas per carnis poroſitates attrahi, ita ut quo mulier carne rarior eſt, eo majorem lactis copiam producat, in hoc cum ipſo conſentire non poſſumus, ubi enim viæ patulæ ſuppetunt, non neceſſarium eſt, ut ad poros & ductus inconſpicuos confugiamus. Præcipue cum

ipſe affirmet l. c. ſi lactans pilum cum cibo aut potu ingerat, ad mammas pervenire, inque earum papillis conſiſtentem, morbum inducere, quem *τρίχιαν* vocat. Imò longe pilis craſſiora ê mammis cum lacte exiiſſe, ita Chirurgum ê papilla mulieris extraxiſſe ſurculum cichorii, quod veſperi præcedenti comederat, & Matronam nobilem obſervaſſe, puerulum ſuum ſæpius cum ſtercore excreviſſe furfures, quem panem furfuraceum comedebat nutrix. Quomodo enim hæc per poros ad mammas pervenire poſſent? Valet hic iſtud Pindari monitum non temere credendum, cum Martianus non oculatus hac in re ſed auritus teſtis ſit.

XXVI.

Uſus primarius lactis eſt, ut infanti in lucem edito in alimentum cedat, hoc enim infantis commodiſſimum eſſe alimentum affirmamus, nec aliud convenientius ipſi ſubminiſtrari poteſt. Paradoxus in hoc, ut in pluribus aliis rebus eſt Helmontius, qui tr. infantis nutritio ad vitam longam inſcripto, inter vitæ longæ impedimenta refert infantis malam nutritionem, ait: Lac ut alimentum ordinarium ad vivendum, non autem vitæ longæ inſervire, eſſe alimentum belluinum, & in lacte plurima ingruere incommoda, lac grumeſcere, aceſcere, nidoroſum fieri, putreſcere, hæc fere vitia eſſe inevitabilia, & eſſe peccata lactis materialia, quæ fœtus ex origine piare incipit, quaſi ab ortu mater inſidias mortisque comminationes infantulo ſtruat. Alia etiam eſſe lactis crimina occultiori tabo pernicioſa, unde character in vitam deplorabilis.

Nec

Nec ſatis eſſe radices morborum in ſugentem trans-plantari, verum etiam vitiorum quorumcunque ſementa moralia cum lacte intro penetrare, ac in vitam perſeverare. Lac in nutrice cadavereſcere, ſi impraegnata eſt. Demum in horas lac varias impreſſiones ſubire, tum ab animi affectibus, cibis & aliis erroribus, unde ſi quid peccat nutrix inſons infans luere cogitur. Claudit tandem & inquit: Odi ergo infantis nutritionem per lac intentatam.

XXVII.

Itaque aliud ſubſtituit nutrimentum: h. m. Laudo pro puero alimenta, quæ pane, tantisper in Cerevisia bullito, cum melle deſpumato, ſin minus cum ſaccharo inſtituitur, donec ſimul in mucilaginis aut collæ ſpeciem ſ. gelatinam devenerint. Huic tum tantundem Cereviſiæ tenuis miſcetur ac diluitur, quantum ſatis, ut potus loco inſerviat, â pane tamen ſecalitio abſtinendum, ſi melle nutriatur, quia lumbricos gignit. Imo injecto in vas mellis, fruſto illius panis tranſit in formicas. Ad Experientiam provocat, ſe hoc pacto filium Comitis nutriri juſſiſſe, qui fratres robore, ſanitate, ſtatura, ingenio omnique valore longe ſuperavit, & niſi in bello occubuiſſet magnæ ſpei. Elogia hujus cibi addit, ſeu hederam ipſe ſuſpendit, huic potui minus alias vendibili: h. v. Præfatus cibus potusq; eſt innocus, non putreſcens, non coagulabilis, non contumax digeſtioni, neque malignitatis particeps, vel alienæ perturbationis inſtabilis, aut inductæ vitioſæ impreſſionis hæres; Ita ſemper ſibi æqualis, par conſtans, naturæ fit familiariſſimus, non vermi-

culoſus

culoſus, non acer, putidus, aut nidoroſus, non deniq; febriculoſus, imo nec unquam nocuus, licet quantitatem exceſſerit, nam plus minusve dilui poteſt. Adeoque & ſine morbis creſcit adoleſcitque infans & fit capax remedii ad vitam longævam.

XXVIII.

Quæ elogia, Helmontiano cibo & potui aſſignata, hyperbolica eſſe cuivis legenti ſtatim primo intuitu pateſcit. Imo auſim aufirmare, nullum ejusmodi cibum excogitari poſſe, qui hæc elogia ſuſtinere poſſit. Imo ſi inter lac & alimentum infantis Helmontianum comparationem inſtituemus, uti hoc ipſum variis etiam alterationibus, aceſcentiæ &c. eſt obnoxium, ita minus ad digeſtionem & concoctionem aptum eſt, & propterea lac matris aut nutricis ſanæ, quoad victum & reliquas res non Naturales bene ſe gerentis, multis paraſangis præferendum eſſe cenſemus. Lac enim præferimus, ob naturæ ordinē, quia hoc naturale eſt infantum alimentum, ipſi convenientiſſimum, cum Deus & Natura, ipſo Helmontio fatente, deſtinaverit lac in uberibus pro cibo & potu infantuli, deinde quia maximam convenientiam cum corpore & principiis vitalibus obtinet, quia calido temperato & humido dulci gaudet, & demum ſummam alendi efficaciam obtinet. Adde quod nullum infantibus gratius & acceptius alimentum exhiberi poſſit.

F I N I S.